Theologia.

Rybkowicz Joan. Aug. Praesepe Dei Dominique nostri Iesu Christi nascentis stereometria mystica dimensum.

PRÆSEPE DEI DOMINIQVE NOSTRI IESV CHRISTI NASCENTIS.

Stereometria Mystica dimensum

A

M. IOANNE AVGVSTINO RYBKOVICZ CRAC. AD S. NICOLAVM Concionatore: Christianis omnibus instar Xenij pro Concione Calend: Ianu: Datum.

Isaiæ 12.

Notas facite in populis adinuentiones Eius, mementote, quoniam excelsum est nomen Eius.

CRACOVIÆ,
In Officina Sibeneycher, Anno Dñi, 1617.

M. MATTH: BVCZKOVII
In Chriſti Domini Philanthropian Anagoreuſis.

AVrea redeunt en ſécla! polô
Titan radios pandit! Olympi
Dominus ſtabulo natus agreſti:
Terram parat accumulare Bonis.
Seruet vt acri vulnere mundum,
Mortale genus ſpectato Deum.
Melico recreat quem aliger Hymno,
Optata ſonans nuncia Pacis.
Huic rude vulgus munera lactis
Offert, Dominum agnoſcitq; ſuum.
Paſtor tenui flectit auenâ
Vigil infantem: firmatq; fidem
Cernens Hominem, ſed DEVM adorat.
Paruum ſpectans magnum ingeminat.
Immenſa ferens dona ſalutis,
Hic eſt celſi Rector Olympi.
Hic eſt vaſti conditor orbis,
Hic eſt omni dignus honore
Carmine dignus, dignus & auro.
Hic eſt ipſis pulchrior aſtris,
Hic eſt ante & ſæcula natus,
Matrem, quæ alit hunc, ipſe creauit.
Dux militiæ cœleſtis hic eſt:
Regia cuius ſceptra timeſcit,
Et qui geminæ eſt ſubditus vrſæ:
Et quem aduerſus premit axe polus:
Et vbi Titan lumina condit,
Et vbi cœlo ſurgit aperto.
Impaßibilis Deus en rigidum
Vulnus roſeo corpore perfert!
Regis primos huius ad ortus
Regia tremuit cum Rege fero:
Huic ſtella Magos duxit ab oris
Longinquis, vt poplite flexo
Hominiq;, Deoq;, & Sacrifero
In amore, fide, ſpeq;, calentes
Aurum, thus, myrrhamq; rependant.
Qui ſtelliferis imperat aſtris,
An non Dominus ſpectatus hic eſt?
Spectate Homines hominemq;, Deumq;:
Eius roſeo ſtillat ab ore
Mel, lumina Clementia adornat.
Non vt feriat venit in Orbem:
Sanare omnes Doctor hic optat,
En faſciolis ſtringitur infans,
Arcto præſepiq; tenetur:
Arduus vt amor pateat cunctis.
Teneræ Matris recubat gremio,
Quem non ambit machina Mundi?
Qui prata ſuis floribus ornat,
Nudus vagit frigore torpens!
Eſurit (eheu) qui omnia paſcit?
Dum ſæuit Hyems, aquilone furens,
Flammas rigidus tunc ſubdit Amor:
Quod ſtringit Hyems, id laxat Amor.
Boream ergo Fauonius hic vincit,
Commoda Mundo dia reportans.
§ *Id amore calens exprimis, altum*
SOPHIÆ, *decus,* AVGVSTINE *ſacræ.*
O RYBKOWIC. *Norma ſacrati hæc*
Exercitij, IACOBE *Pater.,*
Fax diuinæ, Suadaq; vocis.
Tibi quam dicat, Oſtrowski, reparet
Mentes Hominum, terrena quibus
Cordi, his placeat pulcher Olympus:
In amantem vt amore flagrent ſerui
Dominum: miſeri medicum agnoſcant,
Ac optata Pace fruantur.

Admodũ Rdo, & Clarissimo Viro,

Dño. IACOBO OSTROWSKI

S. THEOLOGIÆ DOCTORI Canonico Cracouien. & &c.

Dño & Patrono Colendissimo salutem & Fœlicitatem in Dño Nascente.

DIuinitus ante dies aliquot factum puto: Vir Clarissime: vt dum quædam de admiranda Seruatoris nostri Opt: Max: in carne hominum pro hominibus Oeconomia cogitarem; quæ Xenii loco, meis illis ad S. Nicolaum extra muros Crac: Auditoribus deuotis pro mea tenuitate darem: ad Oratorium illud Christo Dño Compatientium, hora Exercitio nostro statuta, venirem: Teq; sacri illius Collegij Secundum à Primo Præsidem, pro ea, qua es singulari in dicendo facundia, Fratres illos Crucifixo DEO compatientes ardentius inuitantem audirem; ad præsepe nascentis Domini quantocius properarent; indidemq; prouoluti ab illo Humanitus nascente DEO Xenia cœlitus allata, sed non absq; suis quoq; Xeniis deuotè peterent. Et ecce mihi quoq; Frũm illorum minimo iam pridem Animo concepta & agitata venit in mentem admirandi illius Præsepis Diuini structura, quam vt Mystice metirer: DEVS ille Incarnatus. & in hoc præsepi admirando ab Illibata Virgine Matreq; sua DEIpara positus, olim auctor erat: vt vero in lucem darem, Panegyris illa tua non minus pie quam eloquenter dicta stimulum adiecit. Vide hic Stereometram non Euclideum illum sed Christianum, vt pote Christi non Euclidis Radio quæ Fides est, in hac Stereometria reuerenter magis quã

subtiliter vsum Præstiterim ne aliquid quod in Christi Opt. Max. Honorem, vtrãq; salutem fuerit, pro tua maxima illa animi prudentia decernes. Meum erat quantum omnes nascenti Dno debeamus, vel hoc pio lusu testari; simulq; declarare quantũ; ex Tuis illis, deuotis iuxta & facundis Sermonibus proficiam, qui Te in Ecclesijs Cracouiensium feliciter concionante: non pauca in rem meam imo & communem audientium meorum confero: dum de Verbo DEI pro mei muneris officio, secundum gratiã à Domino mihi commodatam, primis labris Philosophari soleo. Tuum est Clientis animum hac in parte tibi deuotum amplecti, quo in recensendo si multus essem, vel nunc primum Tuum illum magno in loco semper apud me habitum amorem inire viderer: at vero me quem Tu pridem amare cœpisti, Hospitalitateq; illa tibi innata sæpius recreatum, & Magnis etiam quibusq; viris ac inprimis Illßimo & Rdißimo. D. Dno. Antistiti nostro Crac. Mecœnati meo benignißimo commendatum, ad Rei Diuinæ studium excitasti; nefas est pluribus hoc nomine quo tibi sim commendatior Tecum agere. Satis amabis vbi ab amantißimo Tui animo profectum Xeniolum benigne accipies. Præsepe adfero; sed Diuinum illud; quo in struendo, post ipsum Illum qui in eo nostra causa recubuit, Te meum Euclidem seu mauis Archytam agnosco: ad cuius lineas aliquid ego maius postea, dante DEO ducam, in hoc sacro Concionandi puluere cui parũ adhuc isthæc mea est aßueta manus. At vero Tu patrone Colendißime Viue ac Vale semper felix, litterulasq; meas cum sis ipse litteratißimus per occasionem benignius intuere. Cracouiæ ex Aedibus Collegij Maioris. Peruigilio SS. Natalis Dni. 1616.

Adm̃ Rdæ. & Clarissimæ D. V.

Cliens deditissimus.

M. IOANNES AVGVSTINVS RYBKOWICZ Crac.

STEREOMETRIA
SS. PRÆSEPIS
HISTORICA.

Et peperit Filium ſuum Primogenitũ & pannis eum inuoluit & reclinauit eum in Præſepio quia non erat ei locus in diuerſorio. Luc. 2.

Verba F. Anſelmi Ordinis Minorum de obſeruantia in deſcriptione Terræ Sanctæ, quibus intertextum Illuſtriſsimi NICOLAI CHRISTOPHORI Radziuili Elogium in eadem Re. Ep. 2 Hierosol Pereg.

Sub choro Eccleſiæ Bethleemiticæ quæ eſt pulcherrima, & miro modo diſpoſita ex quadratis lapidib: obtectis Tabulis de marmore à Diua Helena Auguſta Conſtantini Magni Matre, ſumptu incredibili conſtructa: directe ad 16. Gradus deſcendendo, (ſicut ad Cellarium) eſt Rupes hodie deplanata; & auro floriſata, in teſtudine quadrangularis, vt & ſacellum habens in longitudine 20. Paſſus Pedum, in latitudine vero circa 6. Cubitos; vbi DOMINVS IESVS paruulus eſt natus de SS. Virgine: Et in eodem loco illius Cauaturæ; eſt altare ſub quo

eſt

est Fouea paruula non profunda, pro charactere vbi Beatissima Virgo Maria primo reperit Filium suum vagientem, & ibi est plena Indulgentia, & deuotio maxima omnium Christianorum, qui omnes quotiens intrant ibi se prosternunt. Locus Foueæ (*Scribit Illustrissimus Radziwilus*) marmorea Tabula signatus ostenditur, in lapide veró qui altari est superpositus hæc inscriptio latiné insculpta est.

HIC DE VIRGINE MARIA IESVS CHRISTVS NASCI DIGNATVS EST.

Supra altare ipsum ad Parietem est Vetus Tabula cum imagine Natiuitatis Dñi nostri ad parietem prædicti Altaris seu loci Natiuitatis Christi (*narrat F. Anselmus*) respectum habendo versus Orientem, descendendo infra tribus gradibus, non tamen directè versus Meridiem sed inter Meridiem & Occidentem, est Cauatura seu præsepe Cauatum, in quo Bos & Asinus duntaxat poterat locari, & vas lapideum seu linter in quo Dñs Iesvs à sua Benedicta Mrē absconditus est; & iste Lectulus Quadrangularis in lapide albissimo sub testudine de quo vase animalia pastum sumebant; & ibi est plenaria Indulgentia, & ibi etiam est Altare (*coniectat &*

verisimi-

verisimiliter Illustrißim' Radziwilus) illi præsepi lapideo cum sit valde capax & vastum, aliud ligneum; (*cuius Reliquiæ Romæ extant in Ecclesia S. Mariæ Maioris in Capella ad Præsepe dicta*) fuisse insertum, iuxta morem in partibus illis obseruatum.

Hæc ad Præsepis litteram de qua pluribus Venerabilis Beda. Cap. 8. de Locis Sanctis Borchardus 1. Parte Cap. 7. §. 56. Andrichomus, Villapandus, & alij Terræ Sanctæ scriptores; Nunc iam littera non absq; suspirio reuerenter dimißa; Latentem inibi spiritum [illegible]*ilimè quæramus atq; ipsum Illum.*

CHRISTVM NATVM AD PRÆSEPE VENITE ADOREMVS

Et hoc vobis signum inuenietis Infantem Pannis Inuolutum Positum in Præsepio. Luc. 2.

STEREOMETRIA MYSTICA SS. PRÆSEPIS

LONGITVDO

LONGA & BREVIS.

Qui est Imago Dei inuisibilis Primogenitus omnis creaturæ quoniam in ipso condita sunt uniuersa in cœlis & in Terra, visibilia et in visibilia

visibilia siue Throni, siue Dominationes, siue Principatus, siue potestates omnia per ipsum et in ipso facta sunt, Et ipse est ante omnes, et omnia in ipso constant. Coloss 1.

AD CHRISTVM

Anagogia.

Christi Domini Diuinitas S. D. N. PAVLO V. Pont. Opt. Max Xenii loco data.

1. *Æternus hîc recumbit cuius longitudini immensæ, nec initia nec fines illi mẽsurã ponunt.*

Et tu Bethleem Ephrata paruulus es in millibus Iuda. Ex te mihi egredietur qui sit dominator in Israel, & egressus eius ab initio à diebus æternitatis Micheæ 5.

Inprincipio erat verbum & verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum Ioan. 1.

Humanitas Christi Dni Illustrissimo D. D. Episc. Cra & amplis. Capitulo.

2. *Verbum abbreuiatum hîc sistitur cuius sermones ad nos ex hac primum Cathedra audiuntur.*

Et dabit vobis Domin⁹ Panem arctum & aquã breuem, & non faciet auolare a te vltra Doctorem tuum, & erunt oculi tui videntes præceptorem tuum. Isa. 20.

Et verbum Caro factum est & habitauit in nobis

bis, & vidimus Gloriam eius, Gloriā quaſi Vnigeniti à Patre, plenum Gratiæ & veritatis Ioa. 1.

3. Paruulus Puſio hîc iacet qui ad infinitum quoduis ſpatiū dexterā ſuam infinitā protēdit. Benignitas Christi Domini Sereniſſimis Regi & Reginæ cum tota Familia inclyta.

Paruulus enim natus eſt nobis & Filius datus eſt nobis & fact9 eſt principatus eius ſuper humerū eius & vocabitur nomē eius Admirabilis, DEVS, fortis, pater futuri ſæculi princeps pacis. Iſa. 9.

Ecce enim Euangelizo vobis gaudium magnū quod erit omni populo quia natus eſt vobis hodie Saluator qui eſt Chriſtus Dominus in Ciuitate Dauid. Luc. 2.

AD ECCLESIAM ALLEGORIA.

1. Eccleſiæ Sponſæ cum qua Nuptias celebrat Teſtamentum condere cœpit æternum. Orthodoxa Fides Theologia.

Et ſponſabo te mihi in ſépiternum, & ſponſabo te mihi in Iuſtitia, & judicio, & in miſericordia & miſerationibus, & ſponſabo te mihi in fide, & ſcies quia ego Dominus. Ozc. 2.

Nunquid poſſunt Filij ſponſi lugere quàm diu cum illis eſt ſponſus? Matth. 9.

2. Fidelibus ſuis audientibus et facientibus doctrinam ſalutarem pandit. Opera bona Præconibus verbi Dei.

Ad annuntiandum manſuetis miſit me, vt mederer con-

ret contritis corde, & prædicarem captiuis indulgentiam, & clausis apertionem, vt prædicarem annum placabilem Dño, & diem vltionis Deo nostro. Isa. 61.

Ego lux in mundum veni vt omnis qui credit in me non in tenebris maneat. Ioa. 12.

Resignatio sui in Deum Religiosis.

3. Cum paruulis in Spiritu magnæ illi delitiæ, quas humilia tantùm corda experiuntur.

Ad quem respiciam nisi ad pauperculū, & contritū spiritu, & trementē sermones meos Isa. 6. Abscondisti hæc à sapientibus, & reuelasti ea paruulis. Matth. 11. Luc. 10.

AD ANIMAM TROPOLOGIA.

Adhæsio firma Christo, Sacerdotibus.

1. Quam longanimis illa Anima quæ credens, sperās, et amans Vlnis hisce āplectitur æternū.

Vetus Error abiit, seruabis pacem. Pacem, quia in te sperauim⁹: sperastis in Dño sæculis æternis: in Dño Deo forti in perpetuum. Isa. 28.

Qui manet in me & ego in eo, hic fert fructum multū quia sine me nihil potestis facere. Ioa. 15.

Obedientia. Nobilitati.

2. Sed et quam prolixè loquens si huic verbo Diuino ad se loquenti et illa loquitur.

Audiam quid loquatur in me Dominus, quoniam

niam loquetur pacem in plebem suam. Ps: 84.

Domine ad quem ibimus? verba vitæ æternæ habes, & nos credimus, & cognouimus quia tu es Christus Filius Dei viui. Ioan: 6.

3. *Grandis deniq; vbi hunc Paruulum Infinitum sinu suo excipit ac tenet.* Pietas vera Ciuib; Crac.

Tenui eum, nec dimittam, donec introducam illum in domum Matris meæ, & in cubiculũ genitricis meę Cant. 3.

Finis autem pręcepti est charitas de corde puro & conscientia bona & fide non ficta, 1. Tim. 1.

LATITVDO
LATA & ARCTA.

Et vbi venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum factum ex Muliere, factum sub lege vt eos qui sub lege erant redimeret. Gal: 4.

AD CHRISTVM ANAGOGIA.

1. *Arctas in angustias hîc redactum videmus qui latißima cœli palatia nobis reserat.* Beneficiũ Magistratui, Crac.

Exulta satis filia Sion, iubila filia Hierusalem, ecce Rex tuus veniet tibi iustus, & saluator ipse pauper. Zach. 9.

Scitis enim gratiam Dñi. nostri Iesv Christi quoniam propter vos egenus factus est cum esset diues, vt illius inopia vos diuites essetis 2. Cor: 8.

Sacramẽtum Academiæ Matri benignissimæ.

2. *Quæ talis! ô miraculum! angustia: quæ maiorẽ se stringit, non definit, continet non coërcet*

Ecce Dominus auditum fecit in Extremis Terræ; Dicite Filiæ Sion. Ecce Saluator tuus venit, ecce merces eius cum eo, & opus eius coram illo. Isa: 62.

Quoniam quidem Deus erat in Christo mũdum reconcilians sibi. 2. Cor: 4.

Miraculũ Philosophis Iurisperitis & Medicis.

3. *Illum infinito modo omni latitudine latio nostræ ãgustiæ sic tenuerunt vt non extenuarint*

Ecce virgo concipiet & pariet Filium & vocabitur nomen eius Emanuel. Butyrum & mel comedet vt sciat reprobare malum & eligere bonum. Isa: 7.

Ecce concipies in vtero & paries Filium & vocabis nomen eius Iesvm. Hic erit magnus, & Filius altissimi vocabitur. Luc: 1.

AD ECCLESIAM ALLEGORIA.

Admiratio literarum studiosis.

1. *Ergo Augustum simul et Angustum ô sponsa tuum sponsum admirare, cuius ãgustiæ cælorum augusta*

augusta spatia tuis Filiis ac Filiabus recte credẽtibus atq; viuentibus in tantum vsq; dilatarũt

Et dedit ei potestatem, & honorem, & regnum, & omnes populi, tribus, & linguæ ipsi seruient, potestas eius potestas æterna, & regnũ eius quod non corrumpetur. Daniel 7.

Non est in aliquo alio salus, nec enim aliud est nomen sub Cœlo datum hominibus, in quo nos oporteat saluos fieri. Act: 4.

2 *Quin etiam gaude tanto tuo bono quod per sponsi angustias orbe toto à mari vsq; ad mare sis protensa.* Gratulatio recens conuersis ad Fidem Indis, &c.

Et dominabitur à mari vsque ad mare, & à Flumine vsq; ad terminos Orbis terrarũ. Ps. 71.

Data est mihi omnis potestas in Cælo & in Terra. Euntes docete omnes gentes. Baptisantes eos, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sãcti. Matth: 28

3. *In arctum licet aduersarii te velint contractam dilatabere in omnem Æternitatem.* Fiducia pro Fide & Iustitia patientibus.

Et ponam in mari manum eius, & in Fluminib⁹ dexteram eius. Et ponam in sæculum sæculi semen eius, & thronum eius sicut dies Cæli. Ps: 88

Et eritis mihi testes in Hierusalem. Et in omni

m̄ni Iudęa & Samaria, & vſq; ad vltimum Terræ. Act: 1.

AD ANIMAM TROPOLOGIA.

Dilectio Congregationibus sacris

1. Et tu Eccleſiam ſequuta matrem ô Anima Redemptori naſcenti adeoq́ amanti ſpatia dilata charitatis.

Cuius ignis eſt in Sion, & Caminus eius in Hieruſalem. Iſ: 31.

In charitate radicati & fundati vt poſsitis comprehendere cum omnibus Sanctis quæ ſit latitudo, & longitudo, & ſublimitas & profundum. Eph: 3.

Mortificatio peccatoribus.

2. Corpus quod inhabitas et naturâ illud contines, caue ſis ne te ſtringat, quam ſolus Seruator amplecti debet.

Nōne ſi bene egeris recipies: ſin autem male ſtatim in foribus peccatum tuum aderit, ſub te erit appetitus tuus & tu dominaberis illi. Ge: 4.

Semper mortificationem IESV CHRISTI in corpore noſtro circumferentes, vt & vita IESV maniſeſtetur in corporibus noſtris. 2. Cor: 4.

Conſtantia, Tribulatis, Aſflictis, Tentatis & pauperibus.

3. Non tribulationis vllius ærumnæ te coarctent, quæ amplum Deo domicilium in Gratia et Gloria deſtinata es.

Memores

Memores esse debent, quomodo Pater noster Abraham tentatus est, & per multas tributationes probatus Dei amicus effectus est. Iud: 8.

Et vos imitatores nostri facti estis, & Domini excipientes Verbum in tribulatione multa cum gaudio Spiritus Sancti. 1. Thes: 1.

PROFVNDITAS
HVMILIS ET ALTA.

Scimus quoniam Filius Dei venit, & dedit nobis sensum, vt cognoscamus verum Devm & simus in vero Filio eius. Hic est verus Devs & vita æterna. 1. Ioan: 5.

1. *Verè profunde cubas ô Magne Puer, nam non occumbis in hoc Præsepis lectulo Deus noster cuius Maiestas et humilitas Abyßus vtraq.* Mysteriis Virginibus.

Dominus possedit me ab initio viarum suarum, antequam quicquam faceret à principio: ab æterno ordinata sum, & ex antiquis antequam terra fieret. Prou: 8.

Et manifestè magnum est Pietatis Sacramentum, quod manifestatum est in Carne, iustificatum est in Spiritu, apparuit Angelis, prædicatum est Gentibus, creditum est in Mundo, assumptum

ptum est in Gloria. 1. Tim: 3.

Maiestas Viduis.

2. *Quid profundius Deo homineq; cuius vtraque Natiuitas adeò profunda, vt ob sui antiquitatem ac nouitatem cognitionis fundo careat.*

Generationem eius quis enarrabit. Is. 53.

Quod si etiam opertum est Euangelium Nouum, in his qui pereunt est opertum in quibus Devs sæculi excæcauit mentes infidelium vt nō fulgeat illuminatio gloriæ Christi qui est imago inuisibilis Dei. 2. Cor: 4.

Liberalitas coniugibus.

3. *Vere alta huius Natiuitas quam Gratiarum omnium mare Oceanum Cælo Terraque diffusum admiramur.*

Et dixit Devs, parum est vt sis mihi seruus ad sustentandas tribus Iacob, & fæces Israel conuertendas. Ecce dedi te in lucem gentium, vt sis salus mea vsq; ad extremum terræ Is. 49.

Dispensatio sacramenti absconditi a sæculis in Deo, vt innotescat principatibus & potestatibus in Cælestibus per Ecclesiā multiformis sapientia Dei, secundum præfinitionem sæculorum, quam fecit in Christo Iesv Domino nostro in quo habemus fiduciam & accessum in

Con-

AD ECCLESIAM ALLEGORIA.

1. *Quis metietur illam Abyßum? Fides spei plena Charitate formata, hic Baculus Geometriæ Cælestis à sponso tibi ô mater Ecclesia datus* Cognitio Veri DEI. Infidelib.

Ecce seruus meus, suscipiam eum: Electus meus complacuit sibi in illo Anima mea, dedi Spiritum meum super eum, iudicium gentibus proferet Isa. 42.

Iustitia autẽ DEI per fidem IESV CHRISTI in omnes, & super omnes qui credũt in eum, nõ enim est distinctio Rom. 3.

2. *Lectulus tui dilecti, ô pulcherrima floridus, sed et profundus cuius intima nedum Homines sed nec ipsi Angeli penetrant.* Reuerentia Dei & Ecclesiæ Hæreticis & Schismaticis.

Ecce DEVS magnus vincens scientiam nostrã numerus annorum eius inæstimabilis Iob. 36.

O altitudo diuitiarum sapientiæ & scientiæ DEI quam incomprehensibilia sunt iudicia eius & inuestigabiles viæ eius. Rom. 1.

3. *Ad Promulsidem Mensionis Gratiis Gratuitis et Gratum facientibus à Deo in carne nato est opus.* Auxilium supernum. Pœnitentibus omnibus.

Quia misericordiam & veritatem diligit Dominvs Devs, Gratiã & gloriã dabit Dñs. Psa 43.
Mysterium quod absconditum fuit á sæculis & generationibus nunc autẽ manifestatum est Sanctis eius, quibus voluit Devs notas facere diuitias gloriæ Sacramenti huius in gentibus, quod est Christus in vobis Spes Gloriæ quem nos annuntiamus. Colos. 1.

AD ANIMAM TROPOLOGIA

Coniunctio cum Deo Iustificatis.

1. *Neque verò tu ó Anima damnationis abyßum euades nisi te huic Abyßo Diuinitatis Amore non curiositate immergas.*

Excelsior Cœlo est, & quid facies? profundior inferno & vnde cognosces? Iob. 11. Qui autẽ non diligit manet in morte 1. Ioa. 3. Devs charitas est, & qui manet in Charitate in Deo manet, & Devs in eo. 1 Ioa. 4.

Pignus Beatitudinis vitæ & Patriæ Perseuerantibus.

2. *Deum aßequuta eris in fundo sine fũdo Beatitudinis quæ quia vltima Fundum, quia perennis sine Fundo est.*

Et dicent in illa die, Ecce Devs noster iste, expectabimus eum, & saluabit nos iste Dominus sustinuimus eum, & exultabimus nos, & lætabimur in salutari eius, Is. 25.

Cum

Cum apparuerit princeps pastor.um percipietis Immmarcesibilem Coronam Gloriæ 1. Pet. 5.

3. *Et licet non ebibes, tamen quantū sat erit bibes æternæ salutis vndam cuius fons inexhaustus quando in Bethleem natus in Mundū emanauit D. N. Iesus Christus cum Deo Patre et sancto Spiritu Gloria dignus in æternum et vltra. Amen.*

Visio cla ra Volu ptas pu rissima & satietas fe licissima ex Deo & in Deo Be atis atq; Sanctis.

O si quis daret mihi potum aquæ de Cisterna quæ est in Bethleē iuxta portā. 1 Reg. 231 Par. 11.

Qui autē biberit ex aqua quā ego dabo ei nō sitiet in æternum sed aqua quā ego dabo ei fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam Ioan. 4. Amen.

CATASTROPHE

Operis,

Sed manum iam de Præsepi Quis enim loquetur Potētias Domini auditas faciet omnes laudes eius? *Semel cum Grauißimo Hieronimo. Bethlemitici huius Antri magno quondam Incola dicam.* Epi. 17.

Quo sermone qua voce speculam tibi possumus Saluatoris exponere! & illud præsepe in Psal. 105. quo Infantulus vagyt, silentio magis quàm infimo sermone honorandum est *Nobis satis erit*

quod

quod Ecce audiuimus eam in Ephrata inuenimus eam in Campis siluæ Introibimus (*affectu saltem quando aliter non licet.*) in Tabernaculũ eius adorabimus in loco vbi steterũt pedes eius. Psal. 131.

APOSTROPHE AD DEUM *Infantem Natum*

Ast tu rutili Conditor Orbis
Salue rosei gemma nitoris:
Salue Casti Flosq́ pudoris.
Salue Germen Virginis almæ.
En te Dominum atq; Deum cũcti agnoscimus: En te Regem canimus.
Regito nostri Lætus in Æde
Cordis, cunctos hospes in annos:
Tu nos magna in pace guberna,
Tu cunctis vtramq́ benignus
Pro strena, concede salutem.
Amen, Fiat Fiat.

Quis sapiens & custodiet hæc? & intelliget misericordias Domini. Psal: 106.